



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Caput 1. Petrus Oniatus Provinciam iniit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

HISTORIÆ  
PROVINCIAE PARAQUARIAE  
SOCIETATIS JESU  
LIBER QUINTUS.

**P**etrus Oniatus, Theologicis voluminibus Romæ non ita pridem in lucem editis, orbi utrique jam notus, postquam in Peruvia Provinciali à Secretis fuisset, & Apostolicis ad Indos excursionibus, necnon tyronibus Limæ instruendis diu vacasset, Didaco Torres successurus, cum aliquot adolescentibus ex Limensi Sancti Martini convictorio in Societatem assumptis, & Dominico Gonsalvio Sacerdote, ad Chilenum regnum Provinciae suæ partem navigans, anno millesimo sexcentesimo decimo-quinto, mense Februario, feliciter appulit. Inde Cordubam dejectus, pro officio statim inquisivit, num quæ res præter Societatis institutum in novam Provinciam irrepissent: factoque prudenti examine, reperit præclari ingenii adolescentes, præcisâ spe summi gradus in Societate adipiscendi, ante legitimum studiorum curriculum præmaturè rebus agendis & Indorum culturae fuisse destinatos. Tertium probationis annum à plerisque omissum. Rationum & expensarum libros in plerisque domibus nullos esse. Omnium sedium bona velut communia sine discretione haberi. Quas res, quamvis monito Generali sic factitatas aliquâ ex parte constaret, tamen nonnulli eas incitatiùs quam prudentiùs apud novum Provinciale exaggeabant, satis gnarum longè aliud esse fundare Provinciam, quam jam stabilitam administrare. Igitur is multis rationibus decessorem suum excusans, aiebat, ut hominibus, sic etiam Provinciis suas esse ætates: prima foundationis tempora conferri posse cum puerilibus annis, in quibus frustra requiras omnimodam morum compositionem. Divum Ignatium in Societate fundanda multa præstitisse, quæ jam stabilitis rebus fieri prohibuisset. Quis nesciat, ab eo tyrones Collegiis, & recentissimos homines Provinciis ipsis præpositos, & ante finita studia multos magnis rebus fuisse admotos, quos nunquam admovisset, si maturorum hominum copia suffecisset. Quare Didacum Torres omni notâ liberum, & insuper laudatum, quòd Societatem per immensam propè terrarum molem inimitabili celeritate atque ingenti fructu sparsisset, ex designatione Præpositi Generalis Cordubensis Collegii Rectorem renunciat. Sub id tempus Joannes Romerus Collegio Chilensi: Ludovicus Valdivia, sedibus apud Araucanos & Chiloenses positis: Joannes Darius Esterensibus sociis: Ludovicus Leiva portui Boni-aëris: Marcellus Lorençana Assumptionis Collegio: Cataldinus Guairaniae rebus: Petrus Remerus Guaicurais: Rochus Gonsalvius in novo Divi Ignatii oppido Neophytis moderabantur. Quos omnes ad munus suum præstandum Provincialis animans, monebat, ut primorum Sociorum, qui per Australes has Provincias Fidem propagaverant, memores, constantiam adhiberent. Nondum exhaustam esse materiam Apostolicorum facinorum, sed indicatam. Occupatas quidem sedibus magni nominis regiones, sed non pervagatas: si antiquâ fortitudine pugnaretur, innumeros Indos ad Fidem reduci posse: præpararent itaque animos virtutibus, sine quibus indubiè spes tantæ evanescerent. Denique singulos obtestabatur, ne adeò læta sub decessore suo principia præposterâ ignaviâ sub se corrumperent. Verùm calcatibus non opus erat plerisque ad opus Evangelicum incitatissimis.

CAPUT  
I.  
Petrus Oniatus Provinciam init.

1615.

*Aliud est fundare, aliud regere Provinciam.*

*Petri Oniati exhortatio.*

CAPUT